283
285

# QVODLIBETARIA
## QVÆSTIO MEDICA.
# MATVTINIS DISPVTATIONIBVS EXAMINANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXI. IANVARII
## D. PETRO PIIART DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

*An tertiæ coctionis excrementum ſudor?*


X tribus animæ facultatibus, ſolius naturalis actio, coctio triplex, & totidem excrementa exiſtunt. Omnium prima χύλωσις fit in ventriculo: qui hepatis, naturalis officinæ, primus miniſter & veluti opſonator, tranſſumptâ chyli portione vtiliore, quâ ſeipſum nutrit, prima excrementa demittit in inteſtina, facultatis regentis ventrem, affectionum, atque aliarum partium, certa indicia. Quibus expellendis, calorem natiuum primò, deinde inteſtinorum fibras tranſuerſas, vi quâdam προωστικῇ præditas natura dedicauit: quòd chyli portiones ſint ſuperuacaneæ, & alendo corpori prorſum inutiles. Iccirco Σκατομαντία medicis cum primis neceſſaria, vt quâ, non minùs quàm aliis functionibus, de temperamentis & morbis, certò, tutò, & promptè iudicari poſſit.


Ιμάτωσις ſecunda coctio, fit in iecore, ex ſubtiliori & depuratiſſimo chylo: quo elaborato, & hepar ipſum, & reliquas partes, vltimo alimento, natura nutrit (ſine quo, vita ἀβίωτος) perficitur in venis, ab ipſo iecore, non à corde, ortis: vitam à corde, ſpirituum opifice, per arterias, ab ipſo ſolo dimanantes: motum duplicem à cerebro per neruos, non aliunde propagatos, impertit. Huius inſtrumentũ eſt iecur: in quo, quatuor humores generantur, à ſe inuicem, proinde ſpecie, diſtincti: deinde in propria conceptacula, ad vſum reconduntur. Huiuſmodi ſunt renes, qui, humorum excremẽtum ſeroſius, per emulgentes, bini attrahunt, interdum vnus. Vnde Οὐρομαντία æquè neceſſaria.


Μοίωσις tertia coctio, fit in ſingulis partibus, conuerſo in ſubſtantiam viuẽtis ſanguine, qui, ab aliis humoribus diſtinctus dari poteſt. Vltimus eſt naturæ ſcopus, quo, præter duplices quatuor humores, quibus animal nutritur, augetur, & generando ſimili idoneum redditur, è ſanguine puriori, reſidua ſecernit: ex quibus lac in mammis, ſemen in teſtibus, vtroque in parente (menſtruum enim in ſolis mulieribus) ad gignendum apto, non antè, medulla in oſſibus, & fuligo procreandis ſpiritibus naturalibus, in iecore fabricatur. Quo quidem menſtruo, à reliquo ſanguine minimè diſtincto, vtriuſque fœcundum ſemen, actu animatum, nutritur, ſi in fœtum ſenſim grandeſcere debeat; ſi ſecus, cum menſtruo diffluit. Huius organa ſunt inſita quibuſlibet partibus temperamenta, natiuo tamen calore vbiuis causâ efficiente.


Μοίωσις omnium coctionũ comes, materiam omnem priùs alterare debet, quàm diſſimilis in ſimilem migret, qualia eſſe alimenta & corpora viuentia nemini dubium. Huic non alia inſtrumenta quàm Ομοιώσει deſtinata: quibus, calidæ partes, humorẽ biliosũm & melancholicũ, frigidæ, aquoſum & pituitoſum gignũt: neque alimentum (quod viuens fuiſſe oportuit) naturam ſuam exuens, aliam induit omnino diſſimilem, & elementũ corporis fit, dum quatuor humores primarij & ſecundarij, continuo effluxu, cum humido primigenio, ab ortu pereuntes, vno eodemque ſanguine, eóque animato, indeſinenti motu, & eodem calore inſtaurantur.


Ο τ mutationes fieri nequeunt, quin diſſimile aliquid ſuperabundet. Hinc cambij ſuperflua, in corporis ſubſtantiam faceſſere nequeunt: ſed craſſiora quidem, ſordium ſtrigmentorúmque ſpecie, cuti adhæreſcunt, vel in vngues & pilos concedunt, ad ornatum: vel inutilia, lacrymas ex oculis, βλέννα, ϗ κόρυζαι è cerebro, ſaliuam è tonſillis, ſputa è pulmonibus: vel vitioſa, materiam tumorum, næuorum, puſtularum, verrucarum, efficiunt: ſin autem ad interna refluant vel meiuntur cum vrinis, vel noxia putreſcunt, grumeſcunt, lapideſcunt, & renum, veſicæ, aliarúmque partium obſtructiones & ſymptomata excitant. Tenuiora autem; vel inſenſili tranſpiratu exhalantur, vel calore humido, in ſudores reſoluũtur. Ideo mares, fœminis: iuniores, ſenibus: pingues, ſanguinei, vinoſi, & helluones, cæteris magis ſudant: è quadrupedibus, ea minùs quorum ſtercora benè olent: nunquam piſces, ſerpentes, plantæ, & omnia inanima. Sudor diaphoreticus, ἐφίδρωσις, & frigidi ſudors nunquam boni. Vbi ſudor ibi morbus. Calidi, ancipites: pauci, periculoſi: multi difficiles. Hinc Ιδρομαντία inter medici partes.

*Ergo Tertiæ coctionis excrementum ſudor.*

PROPONEBAT IOANNES LE MERCIER CASTROTHERICVS ANNO DOMNI 1599.

## Domini Doctores Diſputaturi.

*M. Simon le Tellier.*
*M. Richardus Marces.*
*M. Hieronymus Taquet.*
*M. Simon Bazin.*
*M. Stephanus Dufour Med. Reg.*
*M. Claudius Boyuin.*
*M. Guillelmus de Baillou.*
*M. Henricus Dennanteuil Prof. Reg.*
*M. Michael Marẽot Med. Reg.*

